DECRETVM

Ne liceat Regularibus leuare Defunctorum funera sine proprio Defuncti Parocho.





LICET in Sacro generali Lateranensi Concilio statutum, & ordinatum fuerit, vt Fratres Ordinum Mendicantium, cæteriq; Religiosi Regulares non possint intrare Parochias cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Ecclesias Domorum, & Locorum eorundem suam elegerint sepulturam, nisi prius præmonito, & requisito, ac recusante Parochiano Presbytero, & tunc sine eius, & Ordinarij præiudicio: Significatum tamen est Sacræ Congregationi S. R. E. Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium propositæ, nonnullos Fratres, præsertim Ordinis Minorum de obseruantia, cuiusdam consuetudinis prætextu, quam neq; antiquitate vallari, neq; obseruantia viridi inniti, neq; pacifica, & non interrupta possessione firmatam esse constat, contendere sibi licere, defunctorum funera proprio eorum Parocho absente, eoq; irrequisito, efferre, & leuare; idq; haud leues controuersias, & altercationes, aliquibus in locis, non sine populi scandalo, & Dei offensione excitasse. Ideo volens eadem Sacra Congregatio omnem eiusmodi dissensionum, & scandalorum materiam, & occasionem præcidere, atq; in futurum prouidere, vt tam Parochi, quàm Fratres ipsi, vnanimi inter se voluntate, & ea, qua par est, charitate, vltima hæc Christianæ pietatis officia defunctis præstent, declarat, & huius Decreti tenore statuit, prædictis Fratribus Ordinis Minorum de obseruantia, alijsq; quibusuis Regularibus quorumcunq; Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium existant, nullo modo licere, etiam specialis alicuius consuetudinis prætextu, Parochias cum Cruce processionaliter, aut aliàs, ad efferenda, & leuanda defunctorum funera intrare, vel illa leuare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoq; ibidem præsente: si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat, vel nisi requisitus, venire expresè omninò recuset. Atq; ita obseruari mandat, & districtè præcipit, firmis cæteroqui, & in suo robore permanentibus ijs omnibus, quæ super quarta funerali, & canonica portione, alijsq; iuribus, ad sepulturas pertinentibus à Sacris Canonibus, & Conciliorum Decretis, Summorumq; Pontificum Constitutionibus hactenus sancita, & ordinata sunt, vel aliàs ex particulari consuetudine, vel alio iure obseruantur. Romæ die prima Iulij 1606.

ANTONIVS CARD. SAVLIVS.

Berling. Gypsius Secret.

ROMÆ, Apud Impressores Camerales. 1606.